



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXXX. Ioannis Papae VIII. Ad Svpponem Comitem. Miratur eum sibi, vt decebat, non occurrisse. certiozem reddit de his quae cum Ludouico rege egit. monet vt ad se veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

test? quanto magis hæc mœchans, quæ diuino gladio, cense-  
 sente domno papa Nicolao prædecessore nostro interiit? Nicolaus  
 in epist. 64.  
 Regino. 1.2.  
 chronic.  
 & humano pro parte facto stupro, puniri debuerat? Non-  
 ne Ioannes papa Romanus, & Iustinianus inclytus impera-  
 tor legem Romanam facientes, scripserunt ita? Capitali  
 crimine damnatorum bona non ad lucrum præfidis, sed  
 cognatis punitorum reddi oportet. & alibi: Omnibus gra-  
 dibus cognatorum in hereditate sumenda præferendi sunt  
 filii. Vnde liquido patet, gloriosissime rex, vt nec vos, nec  
 cognati eorum, nisi ipsæ filia quæ sunt legitimæ, illos allo-  
 des habere debent; qui vero nati sunt post crimen illarum,  
 spurii sunt, nec hereditare debent, vt præfatus papa, &  
 imperator scripserunt ita: Spurios satis iniuriosos, satisque  
 acerbos, ac nostris temporibus semper indignos esse diu-  
 dicamus. Quapropter, vt rogauimus, iterum iterumque  
 rogamus, & hortantes monemus, vt harum reclamatio-  
 nes, harum & gemitus vestra regia dignitas hauriat. Et pro  
 apostolorum principum reuerentia, a quibus petiere au-  
 xilium, & pro nostro amore integriter ipsas proprietates,  
 quas vos allodes dicitis, reddat, & vestros omni occasio-  
 ne remota reddere faciatis. Data vt supra.

## EPISTOLA CXXX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD SVPPONEM COMITEM.

Miratur eum sibi, vt decebat, non occurrisse. certio-  
 rem reddit de his quæ cum Ludouico rege egit.  
 monet vt ad se veniat.

*Dilecto filio Supponi illustri comiti.*

**C**VR fili carissime nobis iter tua dilectio clausit, cur-  
 que vt audistis nos in tuos honores venisse, obuam  
 non concurreris, miramur, cum eam in omnibus nostris  
 negotiis curam gessisse semper nouimus: & vbi nos prope  
 fuisse audieras, tuis vniuersis postpositis seriis ad nos fe-  
 stinanter properaueras. Vnde cernimus quoniam istud  
 non ex corde, sed pro fidelitate tui senioris taliter feceris,  
 quod ideo parcimus; ecce enim, vt audistis, & nos etiam  
 vobis iam literis significauimus, pro quibus in Gallia par-  
 tibus Synodum celebrauimus. Et Hludouicum glorio-

*Concil. Tom. 24.*

V

sum regem affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibi que ex omni parte coniunctum dedit, vt nos saluos sine impedimento maledicti Lamberti in Urbem mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, quatenus vestro de more relictis aliis omnibus curis, omnique occasione remota, ad nos præsentialiter venias, incitans etiam alios, quibus apostolicas literas mittimus, vt & ipsi similiter faciant. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi, vt sanctarum Dei ecclesiarum statum, & reipublicæ quietem vna vobiscum consideremus. tamen ante alios venire satage, vt quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data vt supra.

## EPISTOLA CXXXI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD BERENGARIUM COMITEM.

Berengarii caritatem erga Romanam ecclesiam commendat. significat celebratam in Gallia Synodum, seque incolumem reuersum. monet vt ad se venire festinet.

*Dilecto filio Berengario illustri comiti.*

**R**ELATV nonnullorum audiuimus, maxime huius Vvilonis comitis nostri consiliarii, vt vestra deuotio caritatem, quam erga nos, nostramque ecclesiam, vestram videlicet matrem, semper habueras, magis magisque, adoleat: in quo gratias agimus, & vt proficias hortamur. Ecce enim audistis pro quibus in Gallia partibus Synodum celebrauimus, & Hludouicum regem gloriosum affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibi que ex omni parte coniunctum dedit, vt nos, auxiliante Deo, saluos sine impedimento Lamberti maledicti, & a sancta Dei ecclesia anathematizati, in Urbem Romanam mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, relictis aliis omnibus curis ad nos præsentialiter venire satagas. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi vt sanctarum Dei ecclesiarum statum, & quie-